



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **ALTENSIS**

QUETZALTENANGUENSIS-TOTONICAPENSIS* IN GUATIMALA NOVA PROVINCIA ECCLESIASTICA
CONSTITUITUR

ALTENSIS, QUETZALTENANGUENSIS-TOTONICAPENSIS, CUIUS

METROPOLITANA ECCLESIA ERIT SEDES EIUSDEM NOMINIS De spirituali Christifidelium suorum bono solliciti, nuper sacrorum Antistites Conferentiae Episcoporum Guatimalae ab hac Apostolica Sede unanimo consensu postulaverunt ut, detractis quibusdam territoriis a Provincia Ecclesiastica Guatimalensi, quae multitudine civium ac numero suffraganeorum dioecesium eminet, nova Provincia Ecclesiastica constitueretur, cui ecclesia Cathedralis ad hoc usque tempus Altensis nuncupata uti metropolitana Sedes daretur nova sumpta denominatione Altensis, Quetzaltenanguensis-Totonicapensis. Nos quidem, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Ioanne Baptista Morandini, Archiepiscopo titulo Numidensi et in eadem Natione Apostolico Nuntio, de consilio Congregationis pro Episcopis, admotae postulationi libenter concedendum esse putavimus. De plenitudine igitur Apostolicae Nostrae potestatis, sequentia decernimus. Altensem episcopalem Sedem a metropolitico iure Ecclesiae Guatimalensis seiungimus et ad gradum archiepiscopalis metropolitanae Ecclesiae evehimus nomine *Altensis, Quetzaltenanguensis-Totonicapensis*, cui proinde iura ac privilegia cuncta conferimus, quibus ceterae metropolitanae Sedes ad normam communis iuris fruuntur. Nova exinde Provincia Ecclesiastica constabit sane ex metropolitana Ecclesia eiusdem nominis et ex dioecesibus Sancti Marci in Guatimala, Sololensi, Quicensi et Gerontopolitana, hactenus ad Provinciam Ecclesiasticam Guatimalensem spectantibus. Insuper Altensem, Quetzaltenanguensem-Totonicapensem pro tempore sacrorum Antistitem archiepiscopali dignitate augemus et gradu Metropolitanae insignimus iuribus ac privilegiis cumulatum, quae in catholica Ecclesia sunt secundum canones Codicis Iuris Canonici ceteris Metropolitanis, dum aequalibus etiam officiis eundem cumulamus oneribusque obstringimus quibus illi etiam gravantur. Praeterea Venerabilem Fratrem Victorem Hugonem Martínez Contreras, hactenus Episcopum Altensem, ad archiepiscopalem dignitatem et gradum Metropolitanae promovemus, quem iuribus quoque exornamus et privilegiis quibus potiuntur alii per orbem Metropolitanae, at oneribus similiter nectimus et officiis quibus illi itidem subiacent. Quae vero praescripsimus, committimus perficienda Venerabili Fratri, quem diximus, eidem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito mittendi, cum primum fas erit, sincerum exemplar actus peractae executionis ad Congregationem pro Episcopis. Iubemus denique omnia et singula hac Apostolica Constitutione decreta vim sortiri suam sive nunc sive in posterum, quibusvis rebus haud quaquam obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio decimo mensis Februarii, anno Domini millesimo nonagesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.*

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	BERNARDINUS card. GANTIN <i>Congr. pro Episcopis Praef.</i>
---	--

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVIII (1996), n. 7, pp. 611-612 © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana